

1466 ciem coortus, prospectum barbaro Venetoque pariter admisset; sic quoque ad mille desiderati sunt, reliqui præcipiti fuga cum signis se ad naves recepere. Duabus cladi bus fractus Venetus, inde continuo in Zaynthum transmisit, ex Zayntho Methonem; hinc paucis diebus profectus in Eubœam transmisit, ubi sine negocio ullo memorabili sex continuos menses fuit. Verum post rem ad Patras male gestam, quanquam Joanne Diedo scriba, & aliis familiaribus hortantibus, admonentibusque, culpam acceptæ cladis nullam penes eum esse, tamen dolore victus, nunquam amplius ridere visus est: denum mærore animi & perpetuo languore victus, octavo post Patrensem pugnam mense sedens in Chalcide expiravit. Jacobus Venerius tam diu classi præfuit, donec Jacobus Lauretanus, qui decreto Patrum in demortui locum surrogatus est, in provinciam venit. Is sedecim mensibus quibus classis imperator fuit, & insulas, & omnem maritimam oram strenue ab omni hostium incursu defendit.

1467

Per id quoque tempus, nec multo post, priusquam Lauretanus ad imperium maris est missus, etsi res Venetæ quietæ alioquin in Italia erant, nescio tamen quonammodo Bartholomæi Bergomatis, summi ea tempestate ducis, subita in Flaminiam eruptio sollicitas habuit, ac pene novo implicuit bello. Moverat is ex Gallia ingenti vi peditum equitumque, ab Angelo Acciolo & Nicolao Sudorino Florentia extorribus impulsi, facta illi spe rei optime per seditionem in Hetruria gerendæ. Hæc vulgo. Fuerunt qui crederent, illum Pauli Pontificis consilio ex Gallia movisse, ut per Flaminiam & Picenum traductis copiis, Ferdinando Regi, a quo tributum Romanæ Ecclesiæ abnegari dicebatur, subito illius nomine bellum inferret. Sed quocunque ille consilio domo profectus est; constat tamen, ejus conatus, qui ab initio toti Italæ terribiles fuere, brevi omnium expectationem fecellisse, in Flaminiam nanque progressus, Galeacium Mariam Mediolani Ducem, juvenem ferociissimum, obviam habuit. Afuerunt & Ferdinandi Regis & Florentinorum copiæ, ilius

*Victoris  
Capellii  
obitus.*

*Bartholo-  
maeus Ber-  
gomas co-  
gnomento  
Collio in  
Flamini-  
am progre-  
sus rem Ve-  
netam in  
novi belli  
discrimen  
pene tra-  
bit.*